

§. 9. *Super filios hominum*) Augustinus intelligit Iudæos, ut honoratiùs eos appellaverit filios hominum propter unius Dei cultum in comparatione Gentilium de quibus arbitrat<sup>r</sup> superius dictum, *Dixit imprudens*: nos interpretamur in genere de omnibus omninò hominibus, qui nati sunt ordine naturæ, vi versus tertii & allegationis Apostolicæ, *Romanor. 3. vers. 12.*

§. 10. *Vt videat si est intelligens aut requirens DEUM*) Intelligere est mentis, requirere est voluntatis: In priori vera DEI agnitio, quæ fide fit, in posteriori opera dilectionis erga Deum & proximum significantur: Vnde rectè Thomas & Hugo docent, prius ad intellectum, fidem, cogitationemque, postèrius ad operationem & affectum spectare. Homo videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor 1. *Reg. 17. v. 7.*

### *Vers. 3.*

§. 11. Vult sanè DEUS videre justum, intelligentem & requirentem, sed anè invenit talem? *Respondet* Propheta per simplicem infirmitatem: *Omnes declinaverunt*: quam declinationem Basiliius accipit per similitudinem ductam à brutis, quæ humi declivem obtutum & inclinatum habent, ut qui rectus factus homo fuerat, non corpore magis, quàm animo, oculos animi statuerit declinare in terram &c. Hinc *Osea 4. v. 16.* dicitur, quod Israel *declinaverit* sicut vacca lasciviens: & naturalis historia testatur fues ita declinare, ut Cœlum nunquam aspiciant, nisi quando per violentiam tergori imponuntur.

§. 12. *Omnes simul inutiles facti sunt*:) simul hîc non tempus sed personas comprehendit: estque particula *συζευτικη*, ut ita nemo hominum excipiatur; quod ipsum innuitur quoque negatione, *ne unus quidem*, cuius major est emphasis & dinosis quàm affirmationis.

§. 13. Sc-